VOTIVA,

SIVE

AD SERENISSIMVM,
POTENTISSIMVMQVE

IACOBVM,

MAGNÆ BRITANNIÆ,
FRANCIÆ & HIBERNIÆ
REGEM, &c.

De auſpicato Illuſtriſsimi

CAROLI,

WALLIÆ PRINCIPIS, &c.
in Regiam Hiſpanicam Aduentu,

Pia & Humilis

OXONIENSIVM
GRATVLATIO.

LONDINI,
Excudebat *Fœlix Kyngſtonus.* 1623.

AD REGEM.

ASpice Votiuæ fœlicia pignora chartæ,
Dum cadit ad Sacros officioſa pedes.
Aſpice ſinceros animorum, artiſque triumphos,
Dum canimus Muſis gaudia digna Tuis.
Fortior obſequij tamen hîc, quàm carminis ordo eſt,
Inuenies famulas non redijſſe Deas.
Tradidim⁹ pelagóq; Tuo, & Tibi, Carole, Muſas,
Immenſæ comites iuſſimus eſſe viæ.
Noſtrarum redeat cum ſpes, & gloria rerum,
Cum redeat terræ vita ſecunda Tuæ,
Rex Bone, qualis erit tunc cura, fideſque laborum!
Nunc iuvat abſentem non doluiſſe Ducem.

Chronogramma anni, quo CAROLVS Princeps receptus est in Hispaniam.

1623. GRATVS BRITANNIAE PRINCIPIS IN HISPANIAM ADVENTVS.

ORATIO PANEGYRICA

HABITA OXONII XIX° *die Aprilis, Anno Domini* MDCXXIII° *à* IOHANNE KING *Publico Academiæ Oratore.*

Conuenimus hodie, Academici, ad Publicam, & Panegyricam lætitiam. Quæ ne planè Panica videatur, hoc eſt, inanis, ſubita, & leuiuſculis de cauſis exorta, (quidnî enim in gaudium inopinatum quadret, quod terrori adaptari ſolet vocabulum?) ſcire licet, CAROLO noſtro, Principum, quotquot hæc ætas vidit, florentiſsimo, dicari hunc diem.

em, hanc circumfuſam coronam, hoc qualecunque veſtrum meumque obſequium; vt nobiſmet ipſis noſtri, regnique nomine gratulari, & Deo Sofpitatori gratari poſsimus, pro ſuſceptâ ab Eo, atque emensâ feliciter, nuperâ iſtâ Profectione Hiſpanienſi. At mihi ſanè in ipſo limine exultationis, alieniorem timoris affectum obrepere perſentiſco. Non quaſi meliora putârim poſſe accidere, niſi cùm ille ſemel effulſerit dies, quo Reducem Se nobis exhibebit, (quod maturet, precor, fortunetque Deus!) Sed quia hoc me anxiũ habet, ne pro rebus adeò proſperis, non ſatis efficaciter feſtinatus hic ſtylus exprimat cõmune gaudium; quod à ſingulis ſcaturiens quaſi, ac decurrens per anguſtum orationis meæ canalem, ſiſti potiùs verear, quàm emitti. Itaque quod illi licuit artifici, vultum Agamemnonis velo tegere, cùm ſummam eius mœſtitiam non poterat adumbrare; optârim equidem, vt mihi quoque ſilentij velum obducere liceret ſummæ huic lætitiæ, cui atteſtandæ impar eſſe meum omne eloquium agnoſco. Aggrediar tamen pro virili,

rili, hoc me animans celeuſmate, (ſed mutato parùm nomine) quo Cæſar gubernatorem in tempeſtate erexit; Cæſarem vehis, & fortunas Cæſaris. Quare

Dic mihi Muſa Virum, qui mores vidit & vrbes Multorum -- Virum autem quem, aut qualem? Certè & Hic noſter Πολύτροπος eſt; non qualis ille apud Homerum, ſed tamen Homerico planè dignus Elogio; vtpote Cui tota Carolöis, (ſit verbo venia) meritiſsimè debeatur. Quid enim hic referam, quàm ſit Iſte Heros (etiam ſupra annos) omnibus belli pacíſque artibus inſtructiſsimus? Animus ad imbibendas diſciplinas patens & promptus; mores ad voluntates omnium conciliandas compoſiti; corpus robuſtum, & planè Pancraticum: Cuius rei, præter vmbratiles velitationes, haſtiludia, & id genus alia ad palæſtram ſpectantia, (in quibus Carolo primas nemo, quod ſciam, denegaret) indicio eſſe poteſt, tam longi itineris tam mira tolerantia. Ne ſingula percurram, nihil in Eo, quod Principem conſummatiſsimum deceat, deſideratur; nihil quod dede-

coret, vel ipso Momo iudice, reperitur. In omnibus ita ad vnguem (quod aiunt) formatus atque effictus est, vt decertare posti cum Tito, quisnam potior Deliciæ humani generis vocitandus; necnon præripere Scipioni Nasicæ Corculi, Alexandro Magni, Trajano Optimi appellationem; siue quod aliud cuiquam nomen, vel propria virtus, vel alienus affectus cultúsque indidit, nihil obstat, quò minùs in se possit iure optimo deriuare. At certè quantò melioris notæ sunt istiusmodi dotes, quibus nobilitatur, tantò exundantiori oportet nos gaudio perfundi, quòd sciamus tam Charo Capiti nihil eorum, quæ vanus, & fortasse stultus pro Eo timor, nobis suggessit, obuenisse. Siquidem nihil non finxit periculi, vt est semper suspicax noster, & μικραίτιος, -- *Et res sollicitis plena timoris, amor.* Arripuit circumforaneas quasdam prædictiones, è vicinis Gallijs huc aduectas, atque ex his nescio quid mali cœpit ominari. Pertimuit insidias latronum, ex belli reliquijs vndiquescatentium; cæspitationes etiam equorum, diuersoriorum incommoda,

moda, tædia longinquæ peregrinationis, & mille alia rerum discrimina. Auxit solicitudinem ipsa quoque solitudo, quòd nullo stipatus satellitio, nullâ munitus custodiâ, vno tantùm aut altero contentus socio. Solus enim Ei ——*Fidus Achates*

It Comes, & paribus curis vestigia figit.

Hinc est quòd in conuiuijs, congressibusque, nihil magis familiare in ora atque sermones hominum incurrit, quàm Principis valetudo. Nullæ aliæ confabulationes in Ædibus Diui Pauli, toties omni colloquiorum farragine diuexatis. Hoc in Mercatorio Gresha-mienſi, in plateis, in agris, ad priuatos etiam Lares, singulos exercuit: Quid agit Princeps? Quantum supereſt itineris conficiendum? Numquid Galliam præteruehitur? Numquid Pyrenæos attigit? Satin' omnia salua? Quæ tametsi bene tandem ac feliciter cesſit illi Profectio; & albis (quod dicitur) equis inuectus, propitio sic iubente Numine, ad optatam peruenit metam: non poterat tamen fidelis Patria, Animâ suâ penè destituta,

(ſaltem Subſidiariâ,) votis minùs anxijs aut dimittere, aut proſequi abeuntem, quàm nunc impatientibus requirit abſentem. Diſceſſum meditabatur ferè in capite Ieiunij, cùm iam quadraginta exiliter tranſigendi eſſent dies. At certè nullâ re aliâ difficiliùs carere potuit Britannia, quàm auſpicato Auguſtiſsimi Principis, qui illam ſubinde recrearet, intuitu. Et quidnam aliud dicendum eſt totum hoc temporis, quo ſibi à conſpectu Eius temperare, à conſortio diuelli iubetur, quàm iugis quædã & continua Quadrageſima? Felicior profectò Gallia, quanquã noualia eius ignotus dũtaxàt & perſonatus peragrauit: quæ ſi bona ſua ſatis intellexiſſet, non adeò ſine ſtrepitu, ſine pompâ, dimiſiſſet inglorium. Feliciſsima autem, vſque ad inuidiam, Hiſpania, quæ carpit Delicias haſce noſtras, & perfruitur. Atqui verò deponendæ iam ſunt iſtæ querelæ: Neque hinc æmulatio, ſed potiùs gratulatio debet exoriri; cogitandúmque non quàm procul Se habeat à Patriâ ſuâ, ſed quâcunque in Patriâ, quàm benè;

benè; neque quàm remotus à Suis ad Exteros, ſed quàm acceptus apud Exteros perinde ac Suos. Quàm enim amant Eum, amplectuntur, ſuſpiciunt, colunt, Caſtilienſes ad vnum omnes! Tota deſudat Hiſpania, quo magis Angelum iſtum, è terrâ Angelorum (vt non nemo appellat Angliam) eò prouectum, omnibus humanitatis officiis poſsit promereri. In Cuius aduentantis amplexus Rex ipſe Catholicus, non expectatis ceremonijs, (quod iſti genti penè inſolens eſt, & piaculum) cum paucis, & priuatim, quoties accurrit? In publico verò, quàm ſolen[illegible]tijt: triumphali pompâ, ad Regia Palatia *facti.* uitatem igne (vt perhibent) Illi perſuaſit duxit? —*Lætam fecit cum* [illegible]inere perdux- quam bina iſta Luminaria, , impenſiſsimæ les iamtum illuſtrare videban tiarum actio- refert commemorare obſequi[illegible]cerum, donariorum precium, ciborum apparatum, ſpectaculorum ſimul & ſpectantium multitudinem, vndas hominum vndique concurrentium, fauſtas omnium acclamationes, cæ-

teramvè (ſi fas loqui) oſtentationem. Facilè enim coniectare licet, neque Ei facultates non ſuppetere ad hæc omnia, qui numerat in cenſu aureas vtraſque Indias; neque deeſſe voluntatem, vt profunderet in Principem, Ipſi vtrâque ſuâ Indiâ longè chariorem. Atque hoc, vt non obſcurè aliàs, dum non parcit ſumptibus, ita vel maximè teſtatum fecit, dum in eius gratiam, parcit hominibus. In ſymbolum enim Carolinę clementiæ, conceſſa eſt ſontibus indulgentia, delinquentibus impunitas, paſsim aperti carceres: [illegible]lius miſelli homuncionis durior con[illegible]lenne gaudium in aduentu Noui [illegible]aret. Neque abſimile eſt il[illegible]òd Edicta quædam ad tem[illegible]ſſe voluit; illud potiſsimùm, [illegible]mendo Veſtimentorum luxu uperè ſanctum erat. Solſtitium meherlè quoddam rigidioris Iuſtitiæ, in vtroque hoc genere, præcepit; ne cuipiam, per Ferias haſce Carolinas, aut vitæ, aut veſtis licentia præiudicaret. Sed inuitabat haud dubiè tantam

tam Magnificentiam, nec minorem Comitatem, iucundiſsimus CAROLI aſpectus; qui poſt Quintum Illum (Hiſpaniæ Decus) Primus, eo nomine inſignitus, Regionem iſtam inuiſebat: penſitatâ præſertim causâ, quæ Eum, Tantum, ac Talem, relictis proprijs Sedibus, eoúſque, pertraxit.

Et quæ tanta fuit Madritum cauſa videndi?

Magno ſcilicet hoc ipſo vſus eſt Authore, & Patrio, (cuius veſtigijs inſiſtere pium erat, & ſummè laudabile) Sereniſsimo IACOBO; qui eodem exemplo Daniam olim, quo & Ille nuperrimè Hiſpaniam petijt: Vtrique certè -- *Tanti dux Fœmina facti.* Quicquid demùm erat, quod Illi perſuaſit Iter, certè Deus erat, qui in Itinere perduxit. Cui eo quidem nomine, impenſiſsimæ à nobis perſolvendæ ſunt gratiarum actiones. Qui inſuper precibus noſtris vlteriùs importunè ſolicitandus eſt, vt fœcundet nobis hodiernam feſtiuitatem, & catenata ſemper præſtet hæc gaudia. Faxítque breui, vt qui iam auras tantùm, atque rumuſculos de

CAROLO

CAROLO captamus, Ipſiſsimum tandem CAROLVM, Reducem, ſaluum, ſoſpitémque excipiamus. Quod ſupereſt huius exultationis campanæ reſonent, congeſtæque pyræ, & faculæ, ſuo more facundæ, eloquantur; quibus iam in ſermonis mei decurſu Lampada trado.

Ite igitur pueri, linguis animiſque fauentes,
Et molles ornate focos. ——

IN AVSPICATISSIMAM CAROLI PRINCIPIS IN HISPANIAM Profectionem.

CVr petis Heſperiam famuli ſub imagine fruſtrà,
Et cupis ignotus plebeiâ fallere veſte?
Diſcitur è vultu quantùm Tu maior amictu,
Indocilis priuata loqui. Te frontis honores
Altaq; maieſtas, tacitéq; incluſa per artus
Non latuiſſe ſinunt. Peregrinos ipſe Penates
Implesarcano Genij ſplendore, Tuique es
Numinis interpres: Dum tota Britannia de Te
Sollicita eſt, reputátq; viæ diſcrimina longæ;
Per mare, per mõtes, nemorúmq; arcana, per hoſtes,

Per prædatorum ſyluas, ſomnóſq; ferarum.
Quòd ſi non aliam venturis numina tædis
Fnuenêre viam, tua tanta pericula, Princeps,
Hâc mercede placent: Magno ſic magna parantur.
Fntereà terræ diuortia fallimus arte;
Téq; domi chartis ſequimur, pictiſq; tabellis
Quærimus: & digito longè comitamur euntem,
Hàc ibat Carolus, Pyrenes hîc iuga ſurgunt;
Hîc arces optatæ oſtendit Fberia Madrid,
Quâ ſedet incolumis Carolus conuiua Philippi,
Delicijſque nouis fruitur; cui Regia ſacris
Gaudia teſtatur donis, crebríſque theatris.
Nunc læti petimus, dederint quæ numina Fberis,
Te ſaluum, & comites ad littora noſtra reducant.

In Principem, quòd Marchionem de *Buckingham* ſecum aſſumpſit comitem.

Præfectus Equorum & Nauium.

SEu terrâ porteris equo, ſeu claſſe per vndas,
En Tuus eſt, leges qui dat vtriſque, comes.

Quòd

Quòd tutum præstatur iter, terráque, marique,
Non miror; Tuus hoc iussit vtrique comes.

Expostulatio, ac querela Anglorum.

INclyta gens, in Te quid nos commisimus Angli?
(Sæpe & de nimio est iusta querela bono)
Principis heu nobis cor suffurare, suæque
Vt possit patriæ non meminisse, facis.
Vtraque in Hesperiam concurrat vt India, mandas;
Hospite nec Tanto digna videre tibi.
Princeps qui hìc audit, veneraris Fberia Regem;
Et quemcunque iubet viuere, siue mori,
Viuit, seu moritur; credo, vt præludia regni
Externi doceant sceptra librare domi.
Quin tantis cessa benefactis lædere: iure
Non patimur, nimiùm siquis amare velit.

Responsio Hispaniæ.

HOc vos offendit, vestrum quòd numen adoro?
Et mihi vobiscum non licet esse piam?

Dudum gens noſtra eſt Diuum venerata Iacobum,
Et quidni prolem, Magne Iacobe, tuam?
Æquora veſtra meis olim damnoſa carinis:
Nunc at iò tutum, Pacificúmque mare eſt.
Ille, ſuo poſtquam tumidas ſulcauerit vndas
Nauigio, nocuas nempe piauit aquas.
Tranſuolat en alios curſu properante; nec vllâ
Gallica dignatur regna beare morâ.
Quippe reſeruauit ſe nobis, quos putat æquum
Indelibatâ proſperitate frui.
Quis negat ergo tibi merito, Illuſtriſſime Princeps,
Ceu tutelari thura cremanda Deo?

Epiphonema Angliæ.

EVge, & macte tuâ pietate; hos vlla nec ignes
Extinguet ſacros æquoris vnda mei.

VT ſenſit placidus regalia pondera Nereus!
Conſcia marmoream ſtrauit & vnda viam!

Vixque

Vixque premens Zephyrus vocalia ſibila iuſſus
Fncubat, & tumido murmure vela replet!
Quid præſtant ficti mirantia munera vultûs
Carole? Difficile eſt diſſimulare Deum.

De Pyris.

ARdet amore Tui, ceu Tæda, Britãnia, Prin-
(ceps;
Magna foro, maior pectore Flamma ſalit:
Reſpice vel fumum, vel quam facit æthere, nubem,
Nec grauis hic oculis, nec grauis illa rati eſt:
Si fumos Ithacæ tantùm dilexit Vlyſſes;
O quantò Angliacus charior Fgnis erit!

Certamen Regium.

REx Zephyri, & Boreæ Princeps ſub ſole ca-
(dente
Certârunt: bellum de pietate oritur.
Succubuit neuter; pax fit; Contentio mira:
✻ Cum duo pugnarent, victor vterque fuit. * Mart. Spect.

Quòd Martij 7. Die veneris Hiſpaniam primò ingreſſus eſt Princeps.

CVra Deûm Dij ſunt: En quo ſit tutior Hoſpes
Vt coeant caſto Márſque venúſq; modo!
Et tribuant talem tanto cùm pectore vultum,
Vt timeat quamuis plurimus, Omnis amet.

Ad Principem.

SIs licet Heſperjis procul hinc peregrinus in oris,
Sis licet & Soli proximus occiduo;
Occiduus tamen eſſe nequis: Tu totus es Eos;
Non nox vlla tibi, non tibi veſper erit.

QVòd tibi Neptunus properanti fauerit vndis,
Impuleritque ratem blandior aura tuam,
Quòd non inſidiæ nocuêre, aut hoſticus enſis,
Non noua temperies, non mora lenta viæ,

Quod

Quòd cœtus populi applauſu Te exceperit Aulâ
Regis, quòd populus geſtiat eſſe tuus;
Quòd Rex haud fictum toties teſtatus amorem eſt,
Quòd Proceres maneant, Carole, iuſſa tua;
Auſpicio factum cœli eſt, & numine Regis,
Qui proprio Reges temperat arbitrio.

Quid ille ſubitus gaudio mixtus ſtupor
Aulam percellit Iberam?
Quid Rex reuiſit? Quid nouas pompas agit
Gemmatâ luce refulgens?
Procerum quid ingens ſplendor, & populus fremens
Precibus dum vota maritant?
Epuliſque noctem tranſigunt, ludis diem,
In luxum turba ſoluta?
Quid in theatrum verterit Madrittiam?
Tantis quæ cauſa triumphis?
Thameſin relinquens Carolus viſit Tagum,
(Credant vtrumque nepotes)
Non Aſtra, non oracla prædicunt Fter,
Nec ſaltem Buccina Famæ:

Miran-

Mirante vulgo cœlitùs lapſus ſtetit,
Proprij præcurſor honoris.
Hinc non vt Hominem ſuſcipit, ſed Gens pia
Quaſi Numen adorat ab alto.

In munera gratulatoria.

IMpiger Heſperios Alcides flexit ad hortos
Olim iter, vnde redux aurea mala tulit.
Ecce prophetantes veteres de Principe Vates;
Cepit in Heſperiâ fabula priſca fidem.

NEſcio quid miri portendens Thamiſis vno
Littora bis linquit, bis repetítque[a] *die;*
12 Horis. *Scilicet obſtupuit duplicatos pallida fluxus*
Turba, quid inſolitum dum tremebunda timet,
Augurium capimus: venturo præſcius inſtat
Proteus, inuitans ad ſua regna, Deus.
Approperas, & vela facis, dominúmque verentur
Mitia nunc geminis æquora facta iugis.

Inuidet

Inuidet hunc pelago tellus deſerta, requirit,
Quem Dominum agnoſcat, Gallica terra, ſuum.
Littora lætantûm iam veſtro pondere preſſa,
Submittunt pedibus ſe iuga ſumma Tuis.
Heſperia vt poterat dignos ornare triumphos,
Protinus in flores pullulat herba nouos.
Fœlicem populum! Tenebras nec nocte timebunt,
Quando habeat Soles vnica ſphæra duos.

CVm nunc Heſperium certo pede preſſeris agrũ,
Non tibi mutatâ ſede labaſcit honor;
Maieſtas eadem, ac eadem tibi thura feruntur,
Et ſunt vota tamen priſca, ſub axe nouo.
Nunc colit externum pia gens, & in hoſpite Regẽ,
Nec minor eſſe ſoles aduena, quàm Dominus.

AraM
IoVI tVteLarI
pro CaroLo ſaLVo, et Vt sVos
1623. ſospes reVIsat, thVre .pVro et
VotIVIS preCIbVs
ConſeCrat oXonIa.

PVlſa canorum barbiton
Orphéu, melos poſcit dies,
Chori canoros poſcit Aonij ſonos.
Altare coſto redolet, & cæſi boues
Stetêre placidi: farre libemus Ioui,
Noſter cubile ſolis irradiat dies,
Carolus Iberos ſaluus, & ſoſpes beat,
Cantate Nymphæ Bœticæ, & ſaltet Tagus.
Nunc libero terram pede
Pulſato diues Cantaber,
Britanniarum gemmula
Cantato. Soluent debitas
Læti Britanni gratias;
Et quicquid officio deeſt,
Hoc vota noſtra penſitent.
Nos auſpicantis numinis fauor beat
Et vos, Iberi, gratior veſtro nitet

Populo

Populo diei ſplendor, & Veris decus.
Hiſpaniarum Magne Rex, charum caput
Nobis tibique creditum, gratè tenes.
Hinc nuncupamus vota, cantantes iò,
Hinc plauſu Pæana canunt per compita ciues,
Aram verbenis ornant, poſtéſque corollis.

MVſa ſuos paſſa eſt manes; rediuiua dolentes
An threnos pullata boet? potiúſne triumphans
Lætitiæ Pæana litet? dum ſuadeat illud
(Execranda quidem) diuini abſentia Phœbi;
Hoc iubet, optatâ quòd iam potiatur arenâ:
O amor in proprios nimis ingenioſe dolores,
Si mala vel minimum nequeant tetigiſſe Deorum,
Poſſe Iouem metuis? Latebras, ſyluáſque ferarum
Quid ſi tranſierit? Tremerent, motæque verendâ
Maieſtate feros vellent deponere mores,
Sæuitiæ immemores: Fgitur diffuſa niteſcant
Corda, gelata nimis ferueſcant pectora, fictos
Sollicitum caſus extrudat, ſomnia, vulgus;
Vota ſuos habuere Deos: Neptunus aquarum

Horrisonos vetuit sonitus, fluctúsque furores,
Jussit & in dulces fremitus conuertere cantus.
Cernite abortiuos, terræ iam cernite partus:
En maturauit sua tempora Flora, terendi
Vt tantis pedibus decorentur floribus agri.
Sic portus tetigere suos, & Cantaber ipsos
Se credit vidisse Deos, lætúsque gementes
Nos etiam gestire iubet, tumulareque flammis
Mœstitiam: Incensos poteras vidisse rogales
Circumquaque ignes, flagrantis symbola mentis,
Aere Londini errantes lucente fauillas,
Extructásque pyras vidit quicunque putaret,
Et Troiam flagrâsse nouam, facibúsque volare
In cinerem; aut tremeret, correptane Regia cœli
Ardeat, & regni moles operosa laboret,
Principis alma dies, & luce sacratior illâ,
Quâ natus (siquidem, non viuere, vita valere est)
Æternum & cupimus Festum potuisse vocari.
Ecce iterum sese intrudit dolor! Ecce parentis
Corripuit mentem; nato viduatus amaris
Perfruitur lachrymis, & amat pro Principe luctu,
Esséque se dicit, sed viuere posse negabit.
O citò Tu redeas, redeat quoque sidus Achates.

Aduolat

A Duolat Heſperias dũ Princeps Carolus oras,
Se præbent comites ventus, & aura leues.
Maior is eſt, quàm cui poſsit fortuna nocere;
Supplice ſe tanquam poplite flectit Aqua.
Tutum pandit iter virtus animoſa, morari
Quam mare, nec ventus, nec fera poſsit hyems.
Maieſtas cicurat rapidos Auguſta leones,
Fluminá que, hoc viſo numine, ſæua ſilent.

P Ignus grande tuo dedimus Neptune profundo,
Et gracili clauſa eſt Anglia tota trabe;
Deliciæ Superûm eſt; & deficiente carinâ
Speraret medio littus in Oceano.
Jam Nympham flammâ propiori torret Jberam;
Occiduo Heſperiæ littore Sol oritur.
Egreditur feſto ſpectabilis Aula triumpho,
Egregijs ambit muneribúſque Procum.
Jndorum meſſes abeant; non Ille Crumenam
Heſperiæ; Zonam Virginis Ille petit.

(Auſtro,

Mira cano: Entandẽ Britonũ Polus Arctícus
Sidus in Heſperijs en Boreale locis.
Æmulus Alcidi mundum circumſpicit, orbe
Fixa ſuo nequeat Stella probare Deum.
Quin (quaſi ſit meritis anguſta Britannia tantis,
Cambria nec tali ſidere digna ſatis)
Transfretat Oceanum, (Galli mirantur, & Alpes,
Et Pyrenæi culmina celſa iugi)
Et tandem Heſperiam; miranda Hiſpania, Soles
Quæ pariter cernis (nec meteôra) duos.
Sol Britonum redeas: Cancer, ſeptemque Triones,
Et reditum ſuadent veltria Regna tuum.
Hoc Elegis querimur, Carolum quaſi pigra Bootæ
Plauſtra vehant, lento quòd nimis igne venit.

In Regalem Hiſpani Hoſpitalitatem.

Iactanti iam dicat Atlas vicinus Ibero,
Siquando tanto trepidârunt Sidera plauſu,

Ex

Ex quo celſa ſacrum preſſerunt Agmina collum;
Siquando binos vero cum lumine Soles
Lucidior dubij mirata eſt Regia Cœli,
Vt iam læta ſuum conſpexit Hiberia Regem,
Et Carolum Regni decus immortale Britanni,
(Communi verè duplicem Geryona corde)
Iura Magiſtratus dantem, Sanctùmq; Senatum:
Dum populus tacito defixus amore tuendi
Egregios vultus, totus modò fiat Ocellus,
Totus in Os patulo modò diducatur hiatu,
Sincerum facilem torſurus ad æthera, Viuat.
Audiat hæc medium Pontus qui diuidit Orbem,
Sentiat vt famam pernici flamine, ſi quem
Submouet Oceano tellus extrema refuſo.
Dic, Atla, & ſi quem liuor malè credulus vrget,
Huic in corda tuam transfer mirantia rupem.

Ecce alter Nouus Orbis! & ex Aquilone benigno
Diuiſus toto venit ab orbe Brito.
Aurea iam Magno vileſcet America Regi,
Vnio, *quem tantum Gemma Britanna rapit.*

Blandum

BLandum nè ſtupeas Dei Tridentem,
Quòd mites tibi læuigat procellas,
Quòd tellus placidos ſinus Roſarum
Stellis ſeminat inuidenda cœlo:
Nam fauſtis Auibus viam auſpicaris,
Quem portant celeres Amoris Alæ.

OLim erat à toto diuiſa Britannia mundo,
Vndique nos multo cinxerat vnda freto.
Sed tamen iſta ratis nobis coniunxit Iberos:
Inter nos Iſthmus Principis Ardor erat.

PVbes clara, Britanniæque ſplendor
Nondum remigij ſciens, timendas
Imbelli rate prouocat procellas:
Per montéſque feris inhoſpitales
Virtuti facilem viam recludit,
Se tutus, ſibi Dux, ſibi Satelles.
Furtìm gaudet amans adire votum,

Et ſe non nimium cupit videri;
Sic olim iuuenis Pater deorum,
Mortali quoties toro iocari
Decreuit facilis, nimis coruſcos
Abſcondit radios, ſolóque cœlum
Æquauit, tenui vagus lacernâ.
Non ſic Tyndariden tulit per auras
Collo Cyllarus impiger ſoluto,
Non tanti vel Equus, vel Aſtra ſeſſor
Audax promeruit. Stupent Iberi:
Stridet lætitiâ celebris Aula.
Et iam Regia Virgo quàm ſuperbit,
Cui tantæ numerat perîcla dotem!

De Principe Peregrinanti, & Perſonato.

IMperio quod pondus ineſt? Quæ ſarcina magni
Nominis? vt nullum Principis eſſet iter.
Arma peregrino numeroſa Satellitis abſunt:
Tum iuuat Imperium ſepoſuiſſe ſuum.

Vt faceret peregrinus iter, peregrinus ab Ipso est,
Vtque domi est exul iam sibi factus abit.
Processus foret hic pompæ, gentisque triumphus
Curribus, & sociâ nobilitate vehi.
Quin si migraret totâ circundatus Aulâ
Princeps, non meritò suspicer esse domi?
Vendicet in patriam sibi quæuis climata Princeps;
Se fugiat, verè qui Peregrinus erit.

TEllus hospita Principis Britanni,
Quantùm diuite glorieris vrbe?
Nusquam ditior extitit popellus;
Sed nostris opibus magis superbit.
Nam cum tot tibi proferat Triumphos,
Tot Spectacula, tótque Dona, credo
Priuatus patrijs abes columnis,
Vt Princeps iterum Exteris Creeris.

QVò properas, Princeps, per tot discrimina? (posse
Fati, sæuitiæ est vel voluisse mori.

Non

Non Tibi, ſed Populo viuis; tot Regna, tot Vrbes
Exoptant reducem poſſe videre Ducem,
Et precibus penetrant cœleſtia Sidera: vota
Improba pro Tanto quis putet eſſe Deo?

NVm timet Eclipſin virtus arctata? Latere
Vno non poterat gloria tanta loco?
Alpes, Pyrene, Fluctus, Hiſpania, Galli,
Omnia num noſtræ conſcia laudis erunt?
Sic ſic æternus, ſibi ſic cupit eſſe ſuperſtes
Succeſſor Cathedræ, Caſſiopeia, Tuæ.

Ad Principem de fœliciſsimo Itinere.

DVm petis Heſperiam Regnũ Paſtoris Iberi,
Per mare, per terras, Carole, tuta via eſt.
Æolus anguſto compingit carcere ventos,
Nullaque Neptunum ruga ſenilis arat:
Sic mare pacatur; ſic venti ſiſtitur æſtus:
Nec minùs æquoreo eſt terra benigna Deo.

Cura Dei Deus eſt: Cùm ſic tibi militet æther,
Carole, non poteras tutior eſſe domi.

QVi modò fallaci patriam ſub veſte reliquit,
Atque Britannorum tranſijt Oceanum,
Hunc tulerant Galli, multo ſine murmure, tutus
Inde Pyrenæis montibus accipitur.
Perge, precor, Princeps, noſtræ Spes optima Gētis,
Perge; Per anguſtas quid vetat ire vias?
Seu capiat pelagus, terræ ſeu littora ſiccæ,
Hinc fluctus cohibet Marchio, & inde feras.
Troianouantæâ comiti quem ducis ab vrbe,
Succumbunt facilè bellua, pontus, equi.
Solue metum, & Gallis paulò poſt terga relictis,
Albionem credas te reperîſſe nouam.
Quantum ex aduentu concepit Iberia veſtro
Lætitiæ, referunt aurea dona ſua;
Quos tulit amplexus, & dextræ Regis honores?
Atque idem quoties currus vtriſque fuit?
Quot viget Hiſpanis Carolus magnatibus? Anglos
Quotque catenatos liberat vna dies?

Gratulor

Gratulor incolumem quòd eis Te ſuſcipit oris
Numen: & obtineas vela ſecunda redux.

In Profectionem Principis veloci fœlicitate peractam.

VEctus es, an raptus? pedibus ſubnixus, an alis?
Haud iter eſt: tantas vix paterere moras.
Pegaſus è noſtris præſtò tibi fontibus: alas
Quiſque caballinas vota, precéſque dedit.

In optatum Reditum.

TErræ prompta fides Carolo famulatur eunti;
Et mare iam reditus iactat adeſſe vices.
Euge, Thetis, properet; creſcat tua Fama, decúſq;
Principe dum preſſa es, tu Diadema geris.

MAius Neptuno dominatur in æquore (Numen,
Atque ſimul terris imperat, & pelago.

Quin tumet vnda minax, cœlúmq; æquare videtur,
Jn cœlo Regem ponere posse putans.
Nereides formam mirantur; tristia talem
Nec post Narcissi funera vidit aqua.
Exultant pisces, Delphinus Ariona credit
Bis miserum digitis iam tetigisse lyram.
Proditor Jpse Tui, Princeps, & veste latentem
Fictâ, quicquid agis, Te probat esse Deum.

PHœbus abest: vacuam quid delassare poësin
Prodest? Cum proprio Numine Musa fugit.
Externos nunc hospes adit, punitque Britannos
Exilio; errantis Principis ipsa Comes.
Anxia nos pietas cogit minùs esse disertos:
Securâ nimium carmina mente fluunt.
Scribant hi potiùs gemino queis Sole potiri
Contigit, & nostri Lumina nosse Dei.
Turgentes iam Musa Tomos emittat Jbera:
Ingratum nulli grande volumen erit.
Vos solùm indigenæ vates, & Apollinis orbi,
Parcite, dum properat: pangite, quando redit.

Quis

QVis nouus hic plauſus ? Quæûe exultantia corda
Sollicitat Britonum ſubita & modò nata voluptas?
Hæne vices rerum? Nùm, quos dolor improbus alto
Immerſit, nunc nare datum eſt, & cernere terram,
Votaq; ſeruati ſoluunt in littore ? Tandem
Pone ſuperuacuas recreata Britannia curas,
Lámq; reuertentem Solem cum Sole videbis,
Et mox cuncta tibi duplicato Vere redibunt.
Quem penè amiſſum luges, Hiſpanica tellus
Excepit gaudente ſolo, & non gratior Hoſpes
(Vera fides dicto) Peregrinas appulit oras.
Poſt iter immenſum laſſus, tandem hoſpita lætus
Tecta ſubit, feſtâ reſonant tunc omnia pompâ.
Famq; vrbes, morésq; hominum, campóſq; patentes
Luſtrat ouans oculis, fido comitatus Achate.
Ergo agite, ô Ciues, Læto celebremus honore
Numina firma pijs, nunquam auerſata precantes.
Iamdudum accenſis ferueſcunt compita flammis,
Fronde virent poſtes, albo ſignata lapillo
Feſtq; dies, geminata cohors Iuuenúmq; Senúmq;
Lætitiâ exultat; peiores murmura famæ

Æter-

Æternúmque silent & passim fausta loquuntur.
Ite viri, sibi quos abiens elegerat olim
Tam fidos comites, transmittite puppibus æquor.
Non vnus mundi cardo, non vltima Thule.
Et penitus toto diuisus ab orbe Britannus,
Progenie hâc solus, non hâc fuit indole, dignus,
Quinetiam hunc terris Iuuenem sua fata triumphis
Ostentare parant. Iam nunc agnoscit Iberus,
Mens Illi teneris quantùm maturior annis,
Consilium referens magnum, factisque parentem
Iacobum. Ast illi sospes modò vita supersit,
Et mihi pro reditu festas cadet Hostia ad Aras.

In Principem saluum in Hispaniam receptum Soteria.

TE tam securum iam non mirabere, Princeps,
Tædia tam longæ præterijsse viæ:
Cui peregrinanti, comes est Præfectus Equorum
Et Præfectus Aquæ, terra, nec vnda nocet.
Vota fefelliſti populi; sed fraude modestâ
Splendorem gaudens dißimulâsse tuum.

Sic

Sic quoque furtiuos quoties ambiuit Amores
Iupiter, est passus se minus esse Deo.
Sic solet & Phœbus minùs obseruatus abire,
Dum cupit in nebulis occuluisse caput;
Tunc insigne Iubar tacitè per nubila serpit,
Audacésque oculos igne latente fugit.
Nostros vitabas oculos; sed (parcite vati)
Te, quamuis cæcus, repperiebat Amor.
Notus eris Rediens, Carolúmque fatebere totum,
Fulgebit toto sidere clarus Honor.
Dum Pyrenæos retrò teris aduena montes,
Magnus erit terræ, maior honoris apex.
Tunc agnoscet onus, tum pondere lætior illo
Prosternet fluctus officiosa Thetis.
Tum mansueta tuis famulentur flamina velis,
Blandáque securam ventilet aura ratem.
Tunc Tagus auriflui sileat miracula riui,
Qui spumat fluuas ambitiosus opes,
Et quæ perspicuo flauescit lympha metallo,
Vt Lusitanos sic opulentet agros.
Ridemus fluctus inopes tam pauperis vndæ,
Et quos thesauros pallida Bœtis habet.

Cum poterit reducem Domini vectare carinam,
Crede mihi, Thamisis ditior amnis erit.

Ad Carolum Principem Magnum, Sereniſsimi Iacobi Magnæ Britannię Ter-Magni Monarchę Filium.

PRinceps Magne, Patris Magni Chariſsime (Fili,
Ortu, virtute, et geſtis, ſpe, Nomine Magne,
Magna facis, quæcunq; facis, loqueris, meditaris,
Magnus Eques, Magnuſq; Pedes, formoſus vterq;
Armis, & Muſis, Ruri, Vrbe es Magnus & Aulâ.
Magnum emenſus iter, terris iactatus & alto,
Magno animo, firmo perpeſſus corpore Magna,
Regum, Magnatum, Magnúſq; in amore Minorũ,
Magnus apud Magnos, imos, vtroq; ſub axe,
Fœlix & lætus, mirandus, amabilis omni.
Tantis conueniunt Heroica carmina, corda;
Non tanta attingunt Heroica carmina, corda.
Saluus es & ſanus poſt millia mille viarum,
Hinc lætos videas paſſim, paſſimq; Britannos,

Vota,

Vota, focoſque triumphales, cœlúmq; petentes
Palmis, & precibus pro Principe, Principe ſaluo.
Prata virent, & ſacra ſonant, altaria fumant;
Quæq; Tribus pia thura accendit: Quod Medicorũ
Exoptant Medici; bona bis duo corpore dona, (eſt,
Robur, Forma, Salus, Senſus; ſint hæc bona cuncta,
Princeps Magne, Tibi firma, atq; æterna, precamur.

In tempus Quadrageſimale, circa quod Princeps iter ſuſcepit.

QVas traieciſti peregrè progreſſus, Amoris
Oſtendit placidas (Carole) Piſcis aquas.
Expectâſti etenim tua poſt Ieiunia, Princeps,
Heſperiæ raras carpere Delicias.

QVanto Te minor es (Serene Princeps!)
Priuatam placuit ſubire frontem:
Priuatam haud poteris ſubire ſortem.
Agnoſcit Dominum ſuum inquilinus,
Et tendit Tibi ſupplicem Tridentem

Nereus, qui pelago lauat Britannos.
Nôrunt, quod Tibi debeant tributum,
Montes frigora temperare docti.
Ingens depositum dedère vota
Fortunæ manibus, Deíque pignus;
Cui sors se daret assecla fidelis,
Et gressus regeret; sed Ille pennis,
Pennis iam properans tuis Cupido,
Fortunæ pariter volantis alam,
Et famam superauit insequentem.
Hunc tandem solio nitente fultum,
Lætum muneribus vident superbis,
Ipsi nunc similem, & parem triumphis.
Sensit Iubila carcer æquè & Aula;
Captiuos onerat catena nulla;
Festos omnis agit dies Iberus,
Quos omnes Tibi dedicauit vni.

In adu[illegible]rincipis in [illegible]m.

NOn altis via montibus negata:
Non rupes, pelagúſq; bellúæq;
Tardârunt celeri gradus amori.
Cognatum Veneri pepercit æquor,
Et Brumæ poſitâ ſeueritate
Riſus induit ipſa ſolitudo:
Riſit Gallia germinans, vt vnum
Totam nil niſi Lilium putares.
At nunc Heſperiâ receptus Aulâ
Siccauit lachrymas, metúmq; noſtrum,
Qui Dijs, & populis vtriſq; curæ eſt.

Itinerarium Principis.

ERgò ſic poſito ſtupore frontis
Plebeiam patiens fouere lanam,

Laruam Nominis indui? Nec horres,
Ignotum populum, fera [illegible]os,
Pyrenæáq; transilire [illegible]
Sic vasto peregrè volas [illegible]
Vt linquas fugiásq; T[illegible]am?
Non nata est Tibi tanta solitudo;
En Cypris, Charites, Iocus, Cupido,
Cœlorum Excubiæ, Deûmq; turmæ,
En suspiria, vota, spésq; nostræ;
Anglorum pariter, tuúmq; fatum,
Hæc, inquam, latus, hæc caterua claudit.
Neptunus patriæ magister vndæ
Non passus Dominum breui lacerto
Amplecti, quasi transitu beatus,
Mutatâ sibi protinùs figurâ
Exultat sonipes ferox; vt olim
Cum duras fugeret manus Gigantûm,
Et prurit placidum leuare pondus:
En pernix iuba quàm flagellat auras,
Languentẽ Zephyrum procul relinquens!
Sic ostentat Equum tabella pictum,
Calcantem pede tres duósue montes,
Dum nimbis caput inserit procerum.

Illic quâ ſolita eſt ſedere cura,
Scandit poſt Equitem le[illegible]ido,
Et Seſſor ſtimulos [illegible]tit.
Si præceps nimis v[illegible]ntem
Fllidat ſilici, iocatu[illegible]
Et flammas puer auget [illegible]ntes.
At quoquò repulit ſolum Caballus,
Decurſu memor imprimens ſigillum,
Muſis altera ſurgit Hippocrene.
Vt limen tetigit, manum ſalutat
Peluis Regia, munus hoſpitale
Auri nubila maſſa, quâ lauaret
Deuotam Heſperiæ manum Puellæ.
Vrbes lætitia ſtrepunt, & ingens
Rumpit Vincula quæq; Sabbatiſmus:
Jam gratis velut Angelo iubente,
Labuntur teretes manu catenæ,
Labuntur pede compedes ſoluto,
Jnter gaudia tanta nè vacaret
Vſquam planta choro, manúſue plauſu.

Votum Britanniæ [illegible]em Illuſtriſsimum
Principem quam [illegible]abiturientem, &
ê Brita[illegible]ntem.

SVmma Tibi, P[illegible], antiquæ gloria ſtirpis,
Summe & gentis honor, Carole, amórq; tuæ,
Dum celeri pede ſupremas allaberis oras
Heſperæi, has fauſto conſecrat ore preces
Anglia tota, tuæ facta eſt quæ conſcia famæ;
Sit tibi Dux Virtus, ſit Comes ipſa Salus.

Ad Regem.

NE nulla offendat, nimis aut prolixa fatiget,
Ecce petit Sacros charta puſilla ſinus.
Hæc, Tibi ſi placeat, nobis ſat longa, Jacobe,
Si Tibi diſpliceat, Maxime, longa nimis.

[illegible]cabeſſet,
Plura Nouem canerent Muſæ, niſi Phœbus
Pluraq; quamprimum venerit Ille, canent.

FINIS.